

---

**P. Vergilii Maronis Opera, Volume 1 (Latin Edition)**

**Forbiger Albert**

---

**Title: P. Vergilii Maronis Opera, Volume 1 (Latin Edition)**

**Author: Forbiger Albert**

**This is an exact replica of a book. The book reprint was manually improved by a team of professionals, as opposed to automatic/OCR processes used by some companies. However, the book may still have imperfections such as missing pages, poor pictures, errant marks, etc. that were a part of the original text. We appreciate your understanding of the imperfections which can not be improved, and hope you will enjoy reading this book.**



From the Ewald Flügel Libr



LELAND STANFORD JUNIOR UNIVERSITY



0101  
JF696  
Ed. 2





**P. VIRGILII MARONIS**

**O P E R A**

AD OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM EDIDIT PERPETUA ET ALIORUM ET  
SUA ADNOTATIONE ILLUSTRAVIT DISSERTATIONEM DE VIRGILII VITA  
ET CARMINIBUS ATQUE INDICEM RERUM LOCUPLETISSIMUM

ADIECIT

**ALBERTUS FORBIGER**

---

**P A R S I.**

BUCOLICA ET GEORGICA ATQUE DISSERTATIONEM DE VIRGILII  
VITA ET CARMINIBUS CONTINENS



STANFORD LIBRARY

EDITIO ALTERA AUCTA ET PLANE IMMUTATA

---

**L I P S I A E**

SUMPTUM FECIT ET VENUMDAT I. C. HINRICHS

M D C C C X L V.





219370

WBA:RUU GPO:WAT

# P R O O E M I U M

## EDITIO NIS I.

**E**t si permultas habemus Virgilio editiones, interque eas laude et praedicatione dignissimas, desiderabatur tamen adhuc editio non nimis ampla et modico pretio parabilis, quae, recentioribus elegantiorum literarum profectibus, qui quanti fuerint ne tirones quidem fugit, accommodata, optimas quasque et cognitione dignissimas priorum editorum adnotationes ita in unum coniunctas contineret, ut, quae ab illis vel prorsus neglecta, vel obiter tantum commemorata essent, prudenter suppleret et augetet, variasque eorum sententias, saepe in partes prorsus diversas abeuntes, breviter examinando vel comprobaret, vel reiiceret et veriora iis substitueret. Atqui, ut antiquiores commentatores et editores prorsus taceam, quantum lucis inde a Burmannorum maxime temporibus horum ipsorum, Heynii, Wakefieldii, Brunckii, Schirachii, Vossii, Mansonis, Wunderlichii, Rupertii, Weichertii, Iahnii, Thielii, imprimisque Wagneri, Viri doctissimi et de Virgilio mirifice meriti, curis et studiis poëtae nostro allatum est! Quorum tamen virorum omnium commentarios amplissimos et locupletissimos accurate perlustrare et ex multa arena pauca interdum auri grana colligere, quantum operae et laboris requirat, non est quod usu expertos doceam, praesertim quum vel optima illarum editionum, Heyniana, ab Wagnero repetita et aucta, legentium commodo adeo non prospiciat, ut quae arcte coniuncta esse debeant, per adnotationes, per varias lectiones, per excursus, per quaestiones additas dispersa et distracta, tribus vel quatuor locis multo cum sudore colligenda sint. Quare qui vel hoc unum prudentis collectionis negotium subierit, iure suo aliquam videtur exspectare posse gratiam et probationem. Sed in eo nemo acquiescet, cui bonae artes curae cordique sint, quique ipse aliquid procreandi et ad communem utilitatem conferendi facultate se praeditum sentiat. Multa enim addenda et supplenda, multa refutanda et corrigenda esse, facile intelliget, imprimis quum priores editores, si Iahnium et Wagnerum exceperis, tantum non omnes in sola rerum et verborum explicatione occupati, grammaticas rationes fere prorsus neglexerint, maximeque particularum veras significationes vel ignorantes vel despicientes in multis locis interpretandis graviter erraverint.

turae\*) pertinentes, imprimis poëticum scribendi genus et Virgilianum dicendi usum, resque grammaticas et metricas adnotatione mea illustrare studui. Cuius quidem operis quamvis Phil. Wagnerus Quaestionibus Virgilianis doctissimis, ingentis vereque admirabilis diligentiae et patientiae documentis, quas praeter quaedam nimis subtilia et parum fructuosa longe plura continere vidi egregia et utilissima, magnam iam partem occupaverit, nihilominus eiusmodi quoque observationum non paucas a me aditas esse neminem latebit, qui commentarium meum attento animo perlegerit; idque iam publice a censoribus editionis meae agnitum et probatum esse laetor. Qui si a me in alteram potius partem modum excedente multo plura, quam opus fuisset, adnotata esse censuerunt, accidit tantum, quod praevideram. Praedixi enim, non defuturos, qui maxime de locis parallelis et exemplis, quae usum aliquem probarent, deque virorum doctorum, qui super hac vel illa re grammatica accuratius disputaverint, auctoritatibus nimis frequenter adhibendis mecum expostularent; neque infitias eo, quaedam fortasse sine magno ipsius rei detrimento reticere potuisse. Sed in librorum philologicorum, quos vocant, ingenti copia, qua nostram aetatem obrutam videmus, iis quoque iuvenibus prospiciendum esse putavi, quibus ex pluribus, qui vel eundem usum sequuntur, vel de eadem re scripserunt, unum modo alterumve conferendi occasio suppetat. Quare non vanam quandam doctrinae multaeque lectionis laudem et gloriam, sed veram iuvenum literis operantium utilitatem me spectasse, aequus laboris mei censor facile sibi persuadebit. Qui enim nullam nisi ingenii felicissimi et multae ac reconditae doctrinae laudem affectat, is profecto non Virgilium sibi edendum eliget, poëtam toties iam editum et explicatum, neque critico acumini latum, in quem exspatiatur, campum aperientem, sed Plauto, Varroni, Lucretio horumque similibus emendandis et interpretandis, vel fragmentis veterum scriptorum atque inscriptionibus antiquis eruendis et explicandis operam navabit. Eiusmodi ego laudem aliis, qui me sunt ingeniosiores, non invideo, dummodo studium et diligentia in me non desideretur, atque haec editio mea iuventutis literarum studiosae commodo vere inservire iudicetur: idque iam factum esse a peritissimis harum rerum arbitris, est sane quod vehementer mihi gratuler. Inde vero etiam patebit, cur criticas quaestiones non instituerim, nisi ubi hoc vel vulgaris lectionis aliqua mutatio et ipsa sententiarum explicatio flagitaret, vel iuvenum ingenia exercendi et acuendi opportunitas suaderet, omnem vero leviolem lectionis varietatem prorsus negligere, et singulis quibusque Codicibus, qui hanc vel illam lectionem tuerentur, enumerandis et ponderandis non minus su-

\*) *Fae* Comment. herbarium in Virgilium et quae *Mich. Tenore* (*Osservazioni sulla Flora Virgiliana*) contra eum scripsit, videre mihi non contigit.

persederem, quam omnibus virorum doctorum coniecturis, haud raro inanibus illis et temerariis, recensendis. Omnes enim sciunt, arti criticae factitandae Virgilii carmina non admodum largam praebere copiam, quum, licet ingens codicum numerus inveniantur, si paucos exceperis, Mediceum, fragm. Vaticanum, Gudianum Guelpherbyti, Mentelianum I. et II. Parisiis, ac Moretanum I. Antverpiae asservatos, quibus, si placet, Romanum et Palatinum addas, quamquam hi quoque non tantae sunt, quanta vulgo iis tribuitur, auctoritatis, ceteri omnes minoris sint pretii et maximam partem non digni, in quibus conferendis tempus operamque perdas\*); illi autem plerumque ita conspirent et concinant, ut vulgatam lectionem deserere vel coniecturis vexare prorsus ineptum sit ac temerarium, in plurimis autem locis ob lectionis diversitatem memorabilibus illorum Codd. praestantiorum scripturas afferre sufficiat. Quae quum ita sint, nos in ipsis poëtae verbis constituendis et emendandis a Wagneri recensione, quae Mediceae maxime auctoritate fundata est, raro tantum recessisse, nemo mirabitur, quamquam contextum, quem vocant, bonum et emendatum, non minus a librorum peccatis et editorum inanibus coniecturis, quam a typhothetarum erratis vacuum praebere, primam debere cuiusque editoris curam esse, non est quod doceam.

Verborum scribendorum sive orthographiae eam retinui rationem, quae nunc vulgari usu recepta est, etsi Codices, imprimis Mediceus, qui fere solus hic in censum venit, haud pauca continent alius, i. e. antiquioris, orthographiae vestigia\*\*). Alia est enim Virgilii, alia e. g. Lucretii causa, de cuius in hoc genere ratione egimus in Praef. editionis nostrae p. X — XXIII.; neque omnia, quae ille cascae et obsoletae orationis imitator ex Naevii, Ennii, Pacuvii aetate arripuit, in politissima et nitidissima Virgilii carmina transferri possunt. Qua in re omnium longedifficillima quum summa cautione et circumspectione versandum esse quisque videat, ab hac editione, non viris doctrina iam exultis, sed juvenibus ad doctrinam nitentibus destinata, spinosas et taedii plenas disquisitiones orthographicas neminem postulatutum puto. Qui talia cupiunt, his, si Diis visum fuerit, satis-

\*) Pœcentiorum quoque virorum doctorum laboribus, qui Virgilii Codices antea nondum collatos perinvestigarunt, *Potterii* (Paris. 1823), *Iahnii* (Lips. 1825), *Iaechii* (Vinariae, 1826), *Dorphii* (Havniae, 1829), *Orellii* (in Epistola crit. ad Madvigium scripta, quam praeposuit editioni Cic. Orat. Brut. cett. Turici 1830. in lucem emissae p. LXIV. sqq.), *Silligii* (edit. Wagn. Vol. IV. Lips. 1832), *Wagneri*, aliorum, non multum nos lucratos esse constat; quamquam inter Potterii libros quidam sunt minime spernendi. Quare non tam novi Codices anxie quaerendi et perscrutandi, quam meliores illi, a prioribus editoribus, imprimis *Heinsio* et *Potterio*, admodum negligenter inspecti, denuo studiose perlustrandi videntur. Nam praeter unius Mediceae, quem *Fogginius* et nuper domum *Freytagius* accurate contulerunt, ceterorum omnium lectiones magis minusve sunt dubiae.

\*\*\*) Cf. Exempla in Progr. supra comm. p. 7 sq. a me prolata.